

*IV. Hydatidum ingenti copiâ in Abdomine reperto-
rum Historia. Communicavit cum Societate Regia
Johannes Thorpe, M. D. S. R. S.*

Rhedarius Excell. S. D. Baronis de Penterrider, ætatis 58 annorum, Temperamenti sic dicti Cholerico Phlegmatici, Staturæ quadratæ, non obesus sed robustus, bene appetens, officio suo bene fungens; nec vino, nec liquoribus spirituosis immoderatè utens, bono fatis Regimine vivens præterito Augusti Mense auxili-um meum periit, pro Abdomine fortiter tumente & tenso, Ascitico minimè absimili, urinâ atramen bonæ notæ & in quantitate sufficiente optimè prodeunte, pedum nullo œdemate comparente, Respiratione liber-riùè procedente ventre autem in dies crescente (qui Mense Junio tumere incepit) sanguine in vasis hæmor-rhoidalibus stagnante, nodos ibidem magnos elevante & interdum dolorificè furente, Appetitu ac Viribus nunquam prostratis.

Fateor Ænigma mihi fuisse an Tumor sit siccus hu-midusne? Ad satisfaciendum verò Indicationibus, in specie hæmorrhoidibus suppressis, medicamenta chaly-beata cum Purgantibus mixta exhibui, per quæ fluxus hæmorrhoidum mox excitatus, dolores sedati, & magna sordium quantitas cum aliquali levamine per tubulum intestinalem fuit eliminata. Postea ad exem-plum Etmulleri in hydrope sicco, Nitr. præparat. quo-tidie ad unc. fl. item Mercurium vitæ & omnis gene-ris Diuretica mitiora, fortiora, &c. omnia incassum dedi.

Abhinc Patiens sub sanitatis recuperandæ spe, pro more Vulgi auxilium Empiricorum imploravit, qui sta-tim



tim Aureos ipsi montes promiserunt, multisqué saginatum Arcanis miserum in malis deseruerunt.

Abdomine igitur mole suâ maximè urgente, ad Paracentesin sine morâ progrediendum erat; quam die 14 Januar. Chirurgus Expertiss. D. Anel. unanimi nostro consensu Patienti administravit; contenta verò consistentiam gelatinosam nacta per angustius Cannulae immisso spatiū exire non poterant. Incisio ergo cum Lancetta facienda erat; quâ factâ, materia gelatinosa coloris grisei & lutei, albumine ovorum spissior, cum magna quantitate globulorum alborum sphäericorum, triangularium, vermicularium, gemellorum, testiculi- & ovarii - formium, &c. magnitudinem nucis avellanæ adæquantium primo die ad mensuras sex evacuata erat, ægro quantum ad vires optimè se habente. Postero die, cum facile judicare licebat, factam incisionem non satis esse amplam pro exitu majoribus hujus naturæ globulis concedendo, Lancettâ igitur vulnus ampliabatur, per quod globuli ovum Columbinum magnitudine superantes magno numero cum sex iterum gelatinæ mensuris, & magno frusto massæ cuiusdam albæ portionem omenti referentis, de novo excreti erant. Cui Massæ plures dictorum globulorum filamentis fibrosis adhærefcebant.

In examinatione materiarum, gelatina super carbonum ignem indurescit & albescit, pelliculâ desuper se formante.

Spiritu Vitrioli, Spir. Sal. Ammon. vol. Ol. Tart. per deliqu. Spir. Vin. rectif. Aceto affusis, manifesti nihil videtur, quâm levis induratio materiæ ab uno quoque istorum liquorum, et si naturâ inter se invicem contrariaum.

Globuli coloris sunt albissimi, sensui tactûs resistentes; rupti liquorem album chylo similem fundunt, membranâ seu pelliculâ manifestâ cincti.

Massa

Massa ista albicans quæ portionem omenti refert, etsi crassitie pollicem adæquet, substantiam purè membranaceam habet

Numerus globulorum majorum & minorum ad septem vel octo millia se extendit.

Hodie qui est inclusivè decimus sextus ab operatione dies, æger quām optimè se habet, venter est mollis, planus, vulnus pulcherrimum, urina, pulsus, respiratio bona, consequenter nulla febris, somnus tranquillus. Evacuatio materiæ gelatinosæ durantibus 13 diebus fuit copioſa, inodora, nunc purè ſerosa & parca, ſed forteſ odorem spirans, immiſſumque Catheterem argenteum nigricans, quod corporibus heterogeneis corruptis magis quām vilceribus gangrēnā prehensis attribuimus, quoniam febris abeft. Hodie poſt injectionem Decocti ex Enula Campan. Agrimon. & Mell. cum Tinctur. Aloes. Myrrh. & Balsam. du Commandeur, rupti pellicula globuli fuit excreta, quem in ſtatu ſuo naturali ovum galinaceum mole adæquâſſe, fortassis ſuperâſſe, certum eſt.

Appetitus & vires nunc ſunt quæ nobis faceſſunt. Medicamenta porrigo Traumatica, Alexiteria & Confortantia invicem combinata juxta victum Analepticum. Φαινομενον notatu dignum examini versatiorum in arte amicè diſcutiendum traditur, & ut animi ſui ſenſa nobiscum communicare haud graventur, obnixè rogatur. Dabam Parisiis d. IV. Calend. Januar. M DCC XXII.

Barthol. Anhorn, ab Hartuſſ.